

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Stancari disputationem. De N. etiam ex Vratisla-
uia ad me scriptum est: utinam hoc breui curricu-
lo in littore Baltico feliciter usus esset. Quid enim
illustrauit? Ac potius mentes abduxit à conspectu
meriti ac obedientiæ filij Dei, & fidem noluit esse
fiduciam misericordiæ. Sed hæc aliàs.

Historica de bellis, notiora sunt uobis quam mi-
hi. Ante triduum literas accepi, in quibus mihi si-
gnificabatur, Marchionem Albertum reconcilia-
tum esse Imperatori Carolo, & ducere exercitus
partem contra Gallos.

In Vngaria Turci propter pestilentiam iam quie-
scunt, quæ inter ipsos etiã grassatur. Oremus Deum,
ut ipse pro Ecclesijs Pannonicis & nostris pugnet:
quia uidetis qualia gerant bella nostri bellatores.
Seruabit filius Dei reliquias Ecclesiæ suæ: & ut ser-
uet, toto eum pectore oro. Bene & feliciter uale-
te, Die Elizabethæ, matronæ Pannonicæ, 1552.

Eidem.

S. D. Reuerende & charissime frater: Cer-
tissimum est, à Deo, qui miranda sapientia & boni-
tate genus humanum condidit, insitas esse storgas
erga cognatos: & uelle eum, ut sint cõmonefaciri-
ces de suo amore erga filium & erga nos. Vult nos
adfici desiderio nostrorum. Ideo pietas est, quod
in morte sororis, honestæ matronæ, non sine mœ-
sticia

sticia estis: sed sit modus. Et cogitandum est, nos debere acquirere in cogitatione uoluntatis Dei. Sit & hæc consolatio in cōspectu, quod accessit ad dulcissimam consuetudinem Ecclesiæ coelestis, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Cogito & ego quotidie de hoc itinere, & auidè expecto illā lucē, in qua Deus erit omnia in omnibus, & procul aberūt sophistica et sycophatica.

Quòd longiorem enarrationem dictorum Pauli scribi uis: est in re manifesta non opus est longa disputatione, tamen in præfatione de illis Pauli dictis, propter iuniores, aliquid intertexam. De conuicijs nihil respondebo: sed sequar Psalmi uocem: Illi maledicebant, ego autem orabam. Scio me, Deo iuuante, uera docuisse et docere, et iudicio Ecclesiæ me & mea semper subieci: fugi absurda & hyperbolica, quæ sunt perniciofa iunioribus, etiamsi in uulgo plausus cient. Te etiam adhortor, ne petas institui colloquium cum aduersario nostro, sed tuo loco dicas necessaria: ut Ioannes apostolus cum Cerintho rixari noluit. Vincet ueritas, quantumuis premere eam maledici conātur. Mitto uobis exemplam orationis proximæ. Bene uale. Deus confirmet illustrissimo Principi & uobis animæ & corporis uires. Historica recētissima hæc habeo: quòd Romanus pontifex regi Gallico Henrico, qui ante paucos die mortuus est, tribuit ante mortē ius occupandi

expandi Angliam: quia armari eum uoluit ad de-
 lendas & Anglicas & nostras Ecclesias. Filius Dei
 protegat & gubernet nos. 10 Augusti, Anno 1559.

Reuerendo uiro, N. N. pastori Ecclesie
 Dei in arce Bremi ueteri, fratri suo
 charissimo.

S. D. Reuerende uir, et charissime frater: Non
 solum alij multi, sed etiam *ὁ θεὸς* ad me scripsit
ἐπιβουλοῦντας N. & quidem consolationem ad-
 didit. Delectatus sum ipsius iudicio & beneuolentia.
 Consolationes uero mihi in hac senectate multo antè
 cogitatae sunt. Scio Deum uelle, ut rectè docentes,
 & rectè facientes, placidè serant se uicium tyrāno-
 rum & prestigiatorum. & sero alios magis ra-
 biosos. Scripsi τῷ *ὁ θεὸς* *ἐπιβουλοῦντας*, me opponere omnium
 inimicorum clamoribus bonam conscientiam, & iu-
 dicia piorum & doctorum in Ecclesia. Adiunxi &
 hanc consolationem, cum sciam Deum ueritatis de-
 fensorem esse, non passurum esse spero, ut ueritas
 extinguant isti sophistae, etiam me pulso aut inter-
 fecto. Vetus uersiculus est,

ἀγὼ δὲ ἐς φῶς τὸ ἐν ἀληθείᾳ ἡσέως:

quod rectius diceretur,

ἀγὼ δὲ ἐς φῶς τὸ ἐν ἀληθείᾳ βίος. Recito-

mics & hanc Tertulliani uocem: Si apud Deum *ne.*
 deposueris iniuriam, ipse uultor est: si damnum, re-
 stitutor